



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

vigili custodiâ cor & sensus meos observabo, Millies millenæ tibi sint gratiarum actiones ob patientiam ac bonitatem tuam, qua me tam diu ad pœnitentiam expectasti. Laus, honor & gratiarum actio tuæ clementiæ, qua etiam exaudire miseros non dedignaris: sis in æternum benedictus in cœlo & in terra propter misericordias, quas fecisti mihi miseræ creaturæ, omnigenis opprobriis ac pœnis longè dignissimæ. Omnes creaturæ tuæ te collaudent, quia tibi complacuit veniam indulgere miseris peccatoribus.

Quilibet amplius se dilatare poterit secundum suam devotionem atque impulsus Spiritus sancti, quem persequatur. Deinde concipiet bona proposita, oblationes & petitiones juxta præcepta & formulas supra præscriptas.

CAPUT XIX.

De diversis dispositionibus, quæ magis ordinariè in exercitio orationis occurrunt.

Postquam tradidimus præcepta, & exposuimus praxin trium partium orationis, necesse erit observare diversos status, in quibus orationis studiosi versari possunt, atque explicare, quomodo in singulis se habere debeant.

Status illos multum esse differentes, certum est: quandoque enim experitur quis magnam in orando facilitatem, atque animi promptitudinem; aliàs adeò hebetem se ac stupidum advertit, ut ne quidem materiam adoriri, aut

De
oratione

aut ullum bonum conceptum efformare possit.

Uno die quis persentiscet fervorem, alia die nescio quem experietur teporem ac languorem. Quandoque erit magnâ donatus quiete, tranquillitate atque attentione, millenis aliâs turbabitur distractionibus. Erit, cum magnâ potieretur devotionis abundantia, ac spiritus consolatione; mox molestissimis ariditatibus, ac desolationibus affligetur: imò quandoque etiam à gravissimis impugnabitur tentationibus. Hoc multum affligit Novitios ac Tyrones: aliqui enim hisce difficultatibus inquieti redduntur, parumque abest, quin exercitium orationis penitus abjiciant; alii nimium sibi complacent, nimiumque adhærescunt sensibilibus consolationibus, quibus utuntur dumtaxat ad amorem suum proprium nutriendum.

Prius verò, quàm tradamus monita, ac regulas, quas in diversis statibus illis observare oportet, non abs re erit exponere, undeñam hujusmodi mutationes proveniant: dicimus ergo, illas provenire quandoque à Deo, quandoque à nobisipsis & quandoque à Diabolo. Nunquam enim orationi vacamus, quin Deus agat tanquam præcipuus Director, atque anima etiam ex sua parte cooperetur, quin & Dæmon adsit, omnemque conatum adhibeat, quo nos ab oratione divertat, vel saltem fructum illius impediat.

Deus illic agit ut primarius Director, ille enim est, qui animam ad orationem appellat, qui illam quasi manu prehensam conducit, qui que, ita loquendo, omnes itineris expensas facit,

Vnde veniant diversa dispositiones in oratione.

Deus in oratione animam dirigit.

facit, illi suggerendo bonas cogitationes, suppeditando ei verba, quibus illam vult uti, imprimendo ei bonos impulsus sanctosque affectus, ac denique inspirando illi cuncta proposita bona, quæ ipsa ibi concipit. Ad hæc illam quandoque extraordinariè lumine suo illustrat, suisque deliciis consolatur. Verùm ille ipse etiam quandoque animæ immittit difficultates atque ariditates, quasi ab ea ipse se elongaret, idque facit, ut probe fidelitatem illius, atque in amando constantiam ac veritatem.

Anima quoque nostræ suâ ex parte agit divinæ directioni cooperando, proposito argumento attentè insistendo, cogitationes bonas à Deo illi immittas utiliter recipiendo, sanctisque affectibus, quos ipse ei inspirat, bene utendo. Verùm sicuti anima illa affixa est corpori multis subjecto vicissitudinibus, à quo etiam in operando dependet, ita illa quandoque fa-

Vicissitudines in oratione sæpè oriuntur ex nobisipsis.

Diabolus, qui nil æquè atque hoc verè Angelicum exercitium abhorret, suis quoque partibus non deest, quia, quantum quidem potest, conmittitur, ut ab oratione divertat Religiosos, quandoque illius ipsis indens fastidium, quandoque verò etiam contemptum. Quibusdam persuadet, ipsam non esse nisi inventum humanum, aliis, rem esse impossibilem, atque alijs demum

Errores, quos Diabolus suggerit animabus contra orationem.

esse

De
oratione

esse purum donum bonitatis divinæ, in cujus proinde acquisitione quis frustrâ defudet.

Mirati non immeritò possumus, tantum esse numerum Religiosorum, qui hisce circumveniri erroribus se sinunt; hoc etiam mirabilius est, reperiri nonnullos, qui, cum ingenii præclari sint ad assequendas scientias, hasce tamen Diabolicas suggestiones, quasi veritates indubitatas, evidentesque conclusiones, non solum admittunt, verum etiam in familiarium cum aliis consuetudine producunt, non sine ingenti simplicium animarum præjudicio, magnaque admiratione eorum, qui oppositum experiuntur, velut ipsimet fortassis aliquando experti sunt primis Religiosæ vitæ suæ initiis, quando diem illum existimassent periisse, quo orationem (tanti illam faciebant) neglexissent. Nunc hora huic sancto destinata exercitio supplicium ipsis videtur, adeo ut functiones activæ vitæ subire malint laboriosissimas, quàm vel mediam horam impendere orationi; Cumque illi unà cum communitate assistere compelluntur, id faciunt sine præparatione, sine devotione, sine fructu & veluti per transennam. Quoad illos, qui primis istis insul-
 tibus resistunt, proque ingenti orationis existimatione, quam habent, ab ea retrahi, aut arte Diabolicâ avelli non queunt, inimicus ille salutis nostræ aliam init viam, aliasque adhibet machinas, cumque opus non possit, successum præpedire conatur, suggerendo complures distractiones, cogitationes pravas, vanas, & impertinentes, corporis commovendo humores, eosque adeò conturbando, ut magnas quis

Alia Diaboli fraus.

quis sentiat gravedines, infirmitates, dolores, torpores, & ignavias, aut denique etiam excitando tentationes adeò furiosas, adeoque terribiles contra Deum, contra puritatem, contra fidem, aut etiam quandoque contra ipsum mysterium quod præbet meditationis argumentum, ut, nisi anima cautè sibi prospiciat, illam succumbere faciat, aut saltem negotium ei faceat. Quod si verò ei quis resistat, multò amplius perdit quàm lucretur, illiusque tentationes tantùm faciunt ad nostrum meritum. Cæterùm interiores animæ recessus penetrare nequit, sed totus illius conatus hæret in imaginatione & sensibus, ut proinde anima, invitis etiam omnibus hisce tempestatibus, semper remaneat libera, possitque interiorem suam conservare tranquillitatem ac pacem, sistendo in puro Deum per hasce adversitates glorificandi desiderio.

Nihilominus Cacodæmon, etsi hi duo in-
sultus ei non successerint, animum omninò
non despondet: tertiam enim viam in-
citando in imaginatione fallaces illuminatio-
nes, ac sensibilia quædam gaudia in appetitu
sensitivo, curandoque subtiliter, ut istæ illu-
strationes & gaudia desinant in fallacem sen-
suum libertatem, sicque anima à mortificatio-
ne abducatur. aut abstrahatur à reverentia,
quâ coram Deo assistere illam debere jam di-
ximus.

Verùm enim verò etsi tantopere ad nos per-
dendos allaboret Diabolus, certi sumus, Ange-
los nostros tutelares potenter omninò nobis
assistere, idque multò amplius in hoc, quam in
quovis

*Tertia
Diaboli
oppugna-
tio per
fallaces
illustra-
tiones.*

*De
oratione*

quo vis alio exercitio. Omnes enim inimici huius impressiones & conatus illi elidunt. Interiorius nos illuminant, neque parum ad cogitationes nostras sedandas conferunt. En diversas diversorum statuum ac dispositionum, quibus in oratione subjecti sumus, causas. Nunc age exponamus

Tres differentes vias, per quas animam Deus ad hoc exercitium conducit.

Deus ergò, quem primarium esse diximus in hoc sancto exercitio Directorem, tribus nos viis hoc in exercitio conducit. Prima est, quam ordinariam appellamus & communem; altera est sensibilis devotionis atque interioris consolationis, ac tertia privationis & ariditatis.

Prima est, ubi nihil nobis concedit, nisi *gratiam ordinariam*, quæ est imperceptibilis, sicque permittit, ut ipsi laboremus, applicando industriam, omnesque potentias nostras, juxta præcepta jam assignata. Quâ in replurimum oblectatur Majestas divina, ubi videt nos studiosè ac sollicitè laborantes, ut illius penitentiorem cognitionem, ferventiolemque amorem percipiamus: atque hic labor extreme nobis utilis ac meritorius est.

Eapropter magnis animis illum debemus suscipere atque in eo absque omni fastidio, atque alterius status, hac vitâ durante, desiderio perseverare, imò statum istum magnificere, aliisque omnibus præferre debemus, quia Deus est, qui

qui illum decernit, ipse verò aliunde sufficien-
tissimus est, ut ad unionem affectivam cordis
nostri cum Deo, qui potissimus orationis fru-
ctus est, perveniamus. Via ista etiam valde
est naturæ humanæ consentanea, quia ratio
illic agit: neque verò admodum difficilis est,
quia gratia Dei nos in illa conducit, etsi illam
sensibiliter non percipiamus, id quod Fratres
nostri debent bene perpendere, ut ne inci-
dant in errorem eorum, qui nunquam ora-
tionē suā contenti sunt, nisi in illa suavitate
persenserint ac sensibilem devotionem, quæ
ordinariē non servit nisi ad nescio quibus
blanditiis deliniendam eorum naturam, amo-
remque proprium confovendum.

Dicimus ergo, in hac prima via magnis
animis laborandum esse, excitando intel-
lectum ad inquirenda convenientia argumen-
ta, quibus inflammetur voluntas, hanc dein-
de flammam fovendo atque actuum materiæ
conformium productione augescendo, deniq;
omnia istius divinæ omninoque cælestis artis
præcepta in praxin redigendo.

Altera, quam Deus tenet, via vocatur gra-
tiæ ac *devotionis sensibilis*; quando se Deus
quasi palam & apertè animæ exhibet, conce-
dendo ei lumina, suavitates & consolationes
sensibiles. Anima hoc in statu currit, imò volat,
quin à quopiam impediatur, omnia incipit & o-
mnia perficit absque difficultate, atque etiam
aliquando tantæ suavitatis plena est, ut quasi
specimen aliquod futuræ cælestis gloriæ degu-
stare videatur.

*Secunda
via.*

N

Tertia

De
oratione

Tertia huic è diametro opposita via est *desolationis* atque *ariditatis*, in qua anima non solum omni gratia sensibili, verùm etiam propriis viribus adeo destituitur. ut ne unicum quidem efformare possit conceptum, aut elicere affectum bonum, sed tota stupida, atque ad omnia insensibilis remaneat, ut dicere solummodò queat cum Psalmista; *Ps. 21. 16.* *Arui tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhaesi faucibus meis,* quia nimirum nullum ad te proferre verbum non potest. Hæc attamen via, licet adeo molesta ac difficilis, excellentissima est, maximeque meritoria. Quomodo in illa se gerere quisque debeat, postea exponemus, quare hic solum dabimus aliquot monita magnæ considerationis, quæ quidem necessariò sequi quisque debet, in quacumque sit ex tribus illis viis aut statibus.

*Monita generalia de tribus statibus
predictis.*

Resignatio prima conditio. PRIMò ad orationem eundem est animo penitus simplici, humili, atque ad ea, quæ Deo placuerit nobis vel in nobis facere, sive velit nos conducere per lumen, sive per tenebras, sive per gratiam sensibilem, sive desolationem, indifferenti. Quæcumque enim facit Deus, non possunt nobis non esse quàm maximè proficua, totumque in eo situm est, ut omnia tanquam ab ipsius manu provenientia æquis animis suscipiamus. Et verò quid refert, quâ viâ ad ipsum pergamus, modò tandem perveniamus? Nostrum est, amoris plenum illius ductum sequi, atque ad omnia esse comparatos, liben-

libenter admittentes quemcumque statum, in quo ipse nos voluerit collocare, fideliterque conniti, ut ea, quæ muneris nostri sunt, exequamur, absque magna reflexione, viane dulcis sit an amara, facilis an molesta, non inquirentes etiam quò illa nos conductura, quemque nos inde fructum reportaturi simus.

Secundò non parùm conferet, uti notavit *In itinè*
 S. Theresia, habere constans ac determinatum *perf. c. 4.*
 propositum in via orationis semel cœptæ nunquam sistendi. Necesse omninò est, ut constantiam adhibeamus iavictam ad omnia superportanda, quidquid demum evenerit, quocumque modo successerit, quicumque labor, molestia aut adveritas occurrerit, semper resoluti simus & connitamur esse viri orationis; saltem moriamur in via, saltem hoc sanctum exercitium nunquam relinquamus ob interiores contradictiones & molestias, quas perpetiemur, tametsi etiam mundus submergi deberet, ait prædicta sancta verè spiritu nostri sacri ordinis plena. Neque enim orationi studere debemus pro nostra oblectatione, sed ut placeamus Deo. Et si Deo magis complacet in nostra inopia quam abundantia, atque in nostris ariditatibus, quam suavitatibus, qui sumus nos, qui objectum delectationis ipsius mutare velimus?

3. Deinceps oportet propositum illud executioni mandare, curando habere magnam perseverantiam, non modo quoad orationem præsentem, quam facimus, quam nunquam oportet intermittere, aut abrumpere ob quam-

De
oratione*Constans
resolutio
secunda
conditio**Perseve-
rantia
tertia
conditio*

cumque molestiam, aut interiorem, quam sentimus, difficultatem, verum etiam quoad ordinarium exercitium, cui nos vacare necesse est. Neque enim committere debemus ullo modo, quin omni die saltem tempus à sacris constitutionibus nostris ordinatum impendamus, quicumque leseingerat prætextus, quaecumque fastidium, molestiam aut languorem sentiamus, imò ne quidem ob experientiam, quam quis habet exigui in oratione progressus.

*Praxis in
nostra ob-
servantia
usitata.*

Illi, qui ex obedientia pro tempore, quo communitas orationi vacat, impediti fuerint, illam alio tempore commodiori reparare non intermitterent. Illi verò, qui sunt in itinere, saltem per horam manè & sub vesperum per mediam observare debent silentium circiter tempus illud, quo in conventu fit oratio, nisi aliud occurrat impedimentum. Quod si quem contingat aliquando totaliter occupari, sive intra monasterium id fiat, sive extra, ut non possit orationi impendere horam integram, saltem impendet mediam, aut minimum quadrantem, reliquum verò orationibus jaculatoriis refectiet.

*Semper
studere
interiori
recolle-
ctiōni
quarta
conditio.*

Pro quarto repetemus id, quod diximus jam in principio hujus tractatus, nimirum oportere nos vigilanter curare, ut quovis in loco, tempore & occasione simus interius bene recollecti: Quia quales extra orationem fuerimus, tales erimus, ubi illi vacandum fuerit. Quocirca necesse est, ut sollicitè curemus habere semper cor quietum, tranquillum, atque ab omni passione, inquietudine, & à mœrore quam maxi-
mè

mè alienum, neque nimium nos per vānas re-
creationes ac superflua colloquia effundamus,
quin & omne genus curiositatis, jacturam tem-
poris atque actiones inutiles resecemus, ac de-
nique, uno verbo, sensuum nostrorum custo-
diæ vigilanter intendamus.

Hujus rei defectu paucissimi sunt, qui in
orationis via proficiant, etsi plurimi illam in-
grediantur, quia cū animum fermè habeant
semper conturbatum, ac dissipatum, difficul-
ter omnino se captivare ac recolligere queunt.
Ubi deinde huic exercitio sancto vacandum
est, nullum in eo inveniunt gustum, sed maxi-
mum fastidium, unde fit, ut animo languen-
ti ac vagabundo quasvis occurrentes cogita-
tiones permittant, neque ampliùs adversus
mentis aberrationes, tentationes ac distra-
ctiones in ipsis, sive insidiis Diaboli, sive pro-
priae imaginationis inconstantia, suscitatas de-
certent; quam urbs sine mœnibus ac plena se-
ditionibus hosti suo resistat.

Denique tantum studere propriae non oportet
industriæ, quin ampliùs impulsui Spiritus
sancti nos permittamus, neque tantū in pro-
prio oportet confidere ingenio, quin multò
ampliùs in auxilio gratiæ divinæ confidamus,
quia de seipso quisquis præsumit, à Deo reji-
citur; at ubi anima fuerit humilis, docilis,
atque ad audienda interiora, quæ ipsi Deus
tradit documenta, arrecta & intenta ampliùs
perfectiusque instruetur unico momento, me-
dianteque unico divinæ lucis, ut ita dicam, ra-
diolo, quàm annis integris instrui possit pro-
prio labore & industria. Adeò ut sit quidem

N 3

pro

De
oratione

*Simplici-
tas ac do-
cilitas, ut
lumina &
impulsus
Dei se-
quamur.*

pro hocce exercitio industria adhibenda, sic tamen, ut amplius quis auxilio divino innitatur, plurisque æstimet unicam bonam cogitationem, quæ ab ipso cum gustu & sapore promanat, quàm cunctos conceptus politissimos, quos habere potest ex seipso.

CAPUT XX.

De Distractionibus, & modis eas repellendi.

*Ordo huius
capituli.*

Ubi nunc sigillatim quamlibet ex prædictis tribus viis exponere cogitamus, in prima statim, quæ communis est, occurrit nobis necessitas exponendi, quomodo quis gerere se debeat, ubi patitur distractiones, de his enim magis ordinariè conqueruntur, qui per viam istam incedunt. Primò igitur dicemus, quæ sint causæ, ex quibus nascuntur distractiones. Secundò quomodo decipiant, ex improvise occupent, atque aliò avocent animum. Tertio quomodo illas debeamus abigere. Quarto exponemus remedia antecedentia, quæ oportet adhibere, ac denique defectus, quos quis hac in re posset committere, ut, illos ubi cognoverimus, evitare possimus.

*Quid sit
distrahitio.*

Necesse non videtur exponere, quid sit esse distractum, nimium enim quantum experimur, atque animadvertimus esse, ubi quis manere difficulter potest recollectus, atque interior occupatus, ob multiplicem copiam extravagantium cogitationum, quas nobis suggerit inaginatio, pro eo, quod nos quietè ac tranquillè